



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Canones pœnitentiales ad vnguem Confessarius teneat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

absoluo. Hic itaque omnibus sit præfixus absol-
uendi modus.

Absolutionis formula.

*Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis
omnibus peccatis tuis, perducatur te ad vitam ater-
nam, Amen.*

*Indulgentiam, absolutionem, & remissionem o-
mnium peccatorum tuorum tribuat tibi omni-
potens & misericors Dominus, Amen.*

*Dominus noster IESVS Christus te absoluat, &
ego auctoritate ipsius absoluo te ab omni vinculo
excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si
quod incurristi, quantum possum, & indiges.*

Deinde :

*Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis, in no-
mine Patris & Filij, & Spiritus sancti, Amen.
Passio Domini nostri IESV Christi, merita B. Ma-
ria semper Virginis, & omnium Sanctorum, &
quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi
in remissionem peccatorum, augmentum gratia,
& premium vita aeterna, Amen.*

In satisfactionibus, vel pœnitentijs Confes-
sarius circumspexit esse debet, ne aded leues
illæ sint, & faciles, vt potestas clauium in con-
temptum veniat, ipseque particeps fiat, & con-
sors aliorum peccatorum, neque nimis graues,
aut longæ iubeantur, vt vel recusent eas exequi,
vel etiam si acceptas habent, postea tamen ple-
nè non perficiant.

*Canones pœnitentiales ad unguem Confes-
sarius teneat.*

Idcirco Confessarius Canones pœnitentiales
ad un-

ad unguem sciat oportet: nam quamuis illi possint & debeant, secundum prudentis, & morati Confessarij arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, personarum qualitas, diuersaque conditio, aliaque circumstantia ostendent, utilissimum tamen est semper ipsos Canones præ oculis habere, adque eos tamquam ad amissim respicere, quantum conueniens erit: & quidem Confessarius, etsi pro modo antiquo Canonum pœnitentiam non habet sequi, tamen pœnitenti nonnunquam articulos in ijs explicatos tractabit, vt sic ad maiorem dolorem adducatur, pœnitentiamque leuiusculam, quam ipsi dedit, alacrius exequatur: & interim hæc quoque perspicietur utilitas, quæ proficiscitur ex benignitate, quam hodie sancta mater Ecclesia cum pœnitentibus obseruat, quando disciplinæ Ecclesiasticæ rigorem eis tantopere moderatur.

Pœnitentia quomodo peccatis respondebunt.

Curet etiam, vt satisfactiones peccatis commissis respondeant. Itaque aduersum peccata carnis, vigilias, peregrinationes, cilicia, aliaque similia imponet, quæ macerare, ac castigare possunt, carnem. Contra auaritiæ peccata, præter restitutiones, quæ fieri debent, opponet opera misericordiæ pro facultate & modo cuiusque. Peccata superbiæ, quæ in spiritu hærent, oratio comprimet, quæ sub potenti manu Dei homini humiliato fortitudinem, animique constantiam acquireret. Præcipiet contra negligentiam in ijs ediscendis, quæ ad verum pertinent Christianum, conciones sacras, tum etiam, vt ad certum tempus Scholas, & Catechistas Christianæ religio-

gio-